



1. *Musei s. Joh. diff. in Exist. an Romanos* Cap. IX. v. 19 = 23. *Jene 1652.*
2. *diff. de vera presentia corporis Christi in S. Coena.* *Jene 1652.*
3. *diff. II. de natura et definitione Ecclesie.* *Jene 1655.*
4. *diff. de resurrectione Christi a mortuis,* *Jene 1653.*
5. *Musei s. petri diff. de Baptismo,* *Helms. 1669.*

DISPUTATIO VNDECIMA. 17, M
EX EPISTOLA PAVLI
AD ROMANOS, PROPONENS
ἀνοσίτητ' capitis Noni.

*Cujus positiones divina adjuvante
gratia,*

PRÆSIDE DAVIDE RVN-
GIO S. THEOLOGIE DOCTORE ET PRO-
fessore in Academia Vuitebergensi, in privato disputatio-
num Theologicarum Collegio defendet
14. Calend. Octob.

IOACHIMUS FABIANI
Rostochiensis.



WITEBERGÆ,

Typis M. Georgij Mulleri,

Anno M. D. XCVI,

REVERENDIS CLARISSIS
MIS DOCTISSIMIS ET DE ECCLESIA
Dei bene meritis beneq; merentibus
Theologis.

D. LUCÆ BACMEISTERO.
D. DAVIDI LOBECHIO.
M. OSEVV ALDO SLEIDANO.
M. PAULO PETREO.
M. IOACHIMO VVESTPHALO.

SS. THEOLOGIAE DOCTORIBVS
ET PROFESSORIBVS IN ACADEMIA ROSTO-
chiana celeberrimis, ministris ibidem Verbi Dei Vigilantissimis,
Dominis præceptoribus & Meccenatibus suis omni ob-
servantiæ cultu dignissimis.

Hoc exercitium Theologicum in sui commendatio-
nem demissè offert & de-
dicat

IOACHIMVS FABIANI
Rostochiensis.

CAPUT NONVM.



Ost absolutam tractationem præcipuorum capitum doctrinæ cœlestis, de peccato, Lege, Iustificatione, ejusq; effectis, Spe & Sanctificatione, de reliquijs peccatorum in sanctis, de Libero arbitrio, de cruce & calamitatibus Ecclesiæ, & consolationibus cruci opponendis, descendit Apostolus ad explicationem quæstionis de abjectione populi judaici, & electione gentium in ejus locum. Quia enim Iesus Christus Iudæis promissus & ex eis natus erat, eisdemq; prædicarat, mirum videri poterat, quare ab iisdem non fuerit receptus, atq; ipsi ut electus Dei populus fuerant in Veteri Testamento, ita dignitatem hanc præ reliquis nationibus peculiarem, non asseruerint in Novo Testamento. Offendebat enim gentes & Iudæos conversos Israelitici populi pertinacia in defendendis non tantum pharisaicis superstitionibus, sed etiam leuiticis ceremonijs observandis & repudianda voce Evangelij de Christo. Huic scandalo opponitur doctrina de Iudæorum abjectione & gentium vocatione, quam Paulus non modo ex vaticinijs Prophetarum, sed ex ipsa æterni decreti divini abyssso educit, atq; inde demonstrat, tantum abesse, ut defectio populi judaici, doctrinam de Christo & iusticia fidei evertat, ut eandem argumento plane invicto confirmet. Disputationem hanc tribus capitibus includit, in quibus aliqua sunt, quæ teste Petro οὐ ἀμαρτῆς καὶ ἁσέβητοι σεβασίμωι ὡς καὶ λοιπὰς γράφαις πρὸς ἰδίαν αὐτῶν ἀπόλειπον. Quare propriam textus sententiam mediocri diligentia investigabimus, & summam doctrinæ de prædestinatione sequentes Apostolum κατὰ πόδα breviter subiiciemus.

Status sequentis disputationis tribus capitibus incluse.

Nonum itaq; caput primò Exordium proponit totius disputationis; Tum tractat quæstionem: An Iudæi sint reprobati & gentes in illorum locum electæ: Deniq; causam vtriusq; assignat.

Prima Pars.

In Exordio capitis Noni Apostolus primum amolitur à se suspicionem odij in Iudæos, à quibus multa perpessus erat, concepti, ne lector arbitretur sequentem ἀεργασίαν magis ex affectu humano, quam veritatis amore profectam. Propositio Exordij est: Ego Iudæos quos sincero charitatis affectu complector, à Deo abjectos esse, vere doleo. Hanc quia ipsi minime erant credituri, munit documentis aliquot &

Occasio exordij.

causis

*Documēta
amoris
Pauli in
Iudæos.*

*Præroga
tiva Iuda
ici populi.*

causis ut intelligant omnes rem seriam ab Apostolo tractari. Primo quia de gloria Dei, & Iudæorum ac gentium salute, nec non veritatis divinæ assertionem agitur, juramentum interponit duplex, per nomen Christi & Spiritus sancti conscientiam suam obtestans. Secundo affirmat se vero dolore tangi & quidem continuo & magna tristitia affici ex consideratione abjectionis Iudæorum. Tertia Amorem suum amplificat mentione periculi, quasi dicat, dicturus sum deinceps, quomodo Iudæi fratres mei sint anathemate percussi divinitus: Atqui sane ego optarim pro ipsis fieri anathema, hoc est, excludi ex societate Ecclesiæ, & deleri de libro vitæ, ut Moses Deut. 32. orat, tanto desiderio salutis ipsorum ardeo. Hactenus documenta amoris: Nunc causas subjicit partim ex sui, partim ex Iudæorum consideratione petitas. 1. Ipsi sunt Fratres mei & Cognati secundum carnem, 2. Cor. 11. vers. 27. Phil. 3. vers. 5. Merito igitur eos amo, & de illorum abjectione dolore afficior. 2. Ipsi sunt Israelitæ multis prærogativis & ornamentis divinitus aucti. Proinde hac misera conditione videntur indigni. Antecedens probat inductione prærogativarum populi Iudaici. 1. Prærogativa carnis, quia sunt Israelitæ, nati ex sancta progenie Abrahami. 2. Sunt adoptati in filios Dei, quia populus Israël est primogenitus Dei, Exordi 4. v. 22. 3. Ipsorum est gloria, hoc est, Deus gloriose nos eduxit ex Aegypto & Babylone & multis illustribus miraculis præsentis & defensionis suæ in hoc populo documenta edidit. 4. Ipsorum sunt *διαθήκαι*, dum eos Deus per circumcisionem recipit in fœdus suum, Gen. 17. & pactum suum cum illis renovat & confirmat, Exod. 24. 5. ipsorum est *νομοθεσία*, quibus ex ipsius Dei ore, lex lata Exod. 20. & concredita sunt oracula Dei, Roma. 3. 6. Ipsorum est *εὐαγγελία* non tantum terræ Canaan, sed omnium maxime de Messia & conservatione Ecclesiæ et novo fœdere cum Deo. Ierem 31. vers. 31. & 33. vers. 14. 7. Ipsorum est *πατέρες*, hoc est illustris chorus patrum ac prophetarum sanctitate & stupendis Dei patefactionibus mirandus. 8. Ex Iudæis est Christus secundum carnem, quæ summa fuit gloria Populi Israelitici, quod ex eo nasci debuit Messias secundum carnem, qui est Deus super omnia benedictus in secula: Amen.

*Tractatio
plenior ho
ræ capitū
petatur ex
tatis.*

Axiomata exordij præcipua.

- I. Iuramenta licita sunt, vbi gloria Dei & utilitas Ecclesiæ postulat.
- II. Charitatis fraternæ est animam ponere pro fratribus, 1. Ioh. 3. v. 16.

Præcipua

III. Præcipua ornamenta populi alicujus hoc loco notentur.

IIII. Christus verus Deus & homo in vna persona.

V. Particulæ Doctrinæ κατὰ σάββα vsus necessarius est ad retinendum in personæ vnitæ naturarum discrimen.

Quæstio duplex de Voto Pauli.

I.

AN Paulus recte fecerit, quod alienæ salutis desiderio sibi æternam damnationem imprecatur?

Calvinus censet Apostolum ferventiori affectu præcipitanter & confuso animo, ex amore Dei & hominum in hoc extremum erupisse votum. *in 9. cap. ad Rom.*

II.

An Paulus diligendo Iudæos legem de dilectione proximi perfectè impleverit?

Secunda pars capituli Noni.

ORditur Apostolus disputationem de abiectione Iudæorum, & gentium vocatione propositis aliquot abiectionibus Iudæorum.

Prima pertinet ad quæstionem, An sit:

Si Iudæi rejecti sunt à Deo necesse promissiones Dei factas Abrahamo quibus se ipsi & semini ejus fœdere sacro sancto obstringit vanas atq; irritas esse factas. *Obiectio judaica.*

Sed posterius est absurdum, Falsum igitur & prius.

Respondet Apostolus per distinctionem posteriorum Abrahami, quos duplices esse affirmat, quosdam secundum carnem, nonnullos verò filios promissionis. Filij carnis sint carnali generatione ex Abrahamo nati, & prærogativa carnis tantum nitentes: Hi non sunt hæredes promissionis. Filij Promissionis sunt qui fide promissionem gratiæ Abrahæ datam amplectuntur, & fructum ejusdem percipiunt. Quare promissio; Ero Deus tuus & seminis tui post te, non ad posteros Abrahæ secundum carnem, quatenus tales, sed ad eosdem, quatenus credentes refertur: Ea; non est evacuata, aut excidit. Sed rata perpetuò est manetque. *Duplices filij Abrahami.*

Declarat hanc Responzionem typo Ismaëlis & Isaaci & promissionis datæ Abrahamo de semine benedicto & possessione terræ canaan. Estq; vis collationis hæc: Sicut promissio corporalis non pertinet ad omnes Abrahæ posteros secundum carnem, videlicet Ismaëlem, qui impulsu *Apostolus confert inter se duo Genera.*

*promissio-
nem, du-
plices po-
steros A-
brahae.* impulsu carnalis consilij, & ordine naturali erat genitus: Ita promissio gratiae & vitae aeternae non pertinet simpliciter ad eos, qui sunt ex Israël carnaliter geniti, sed ad posteros Israëlites credentes, qui soli sunt promissionis filij & haeredes vers. 7 8. 9. Poterant vero obijcere Iudaei dissimilitudinis rationem esse in exemplo, qua fiat, ut nulla sit consecutionis vis, quia Ismaël & Isaac longè dispari ratione nati fuerint, cum ne quidem bonorum temporalium Abrahami haeredes fuerint, nedum promissionis spiritualis: Se vero ab eodem Isaaco & Israele pariter prognatos esse: His occurrit Apostolus allegato altero exemplo Esavi & Iacobi, qui secundum carnem ambo erant filij Isaac & Rebeckae & gemelli, & quidem Esavus primogenitus: nihilominus tamen Deus Iacobum illo neglecto elegit, ut haeres esset promissionis de semine benedicto & terra Canaan. Quare sicuti haec promissio non promiscue ad omnes, qui ex Abrahamo secundum carnem geniti, est referenda: Ita nec illa qua Deus gratiam suam et misericordiam Abrahamae & semini eius promisit, referenda est ad omnes eius posteros secundum carnem. Similitudinem exempli amplificat: Primum quod cum summa esset filiorum Rebeckae aequalitas, videlicet cum nondum essent nati nec quicquam boni vel mali egissent, facta sit haec inter eos divino iudicio distinctio; Vbi enim omnia sunt aequalia & electio inaequalis, ibi aliud quippiam eligenti propositum esse necesse est, praeter carnalem praerogativam: Inter Esavum & Iacobum omnia quo ad carnem sunt aequalia, et tamen inaequalis est electio. Quare aliud quippiam praeter carnis praerogativam eligenti fuit propositum. Id quale sit explicat Apostolus, *ut secundum electionem propositum*

*Typus E-
sau & I-
acob.*

*Deus non
eligit ha-
redes pro-
missionis
secundum
carnis ge-
nerationē.*

Dei maneret non ex operibus sed ex vocante, hoc est, Deus in applicanda promissione ad Abrahami posteros, sicuti non respexit carnalem eius posteritatem, ita nec opera, sed *πρόθεσιν* suam, qua libera electione secundum vocationem, Iacobum fratri Esavo praetulit, ut haeres esset promissionis de semine benedicto & possessione terrae Canaan.

Huc accommodat duo oracula divina, quorum alterum extat Genes 25. vers. 23. Major serviet minori, quod non de aeterna Dei praedestinatione minoris ad salutem, sed de eius praerogativa in haereditate promissionis esse intelligendum res ipsa loquitur: Alterum est ex Malachia cap. 1. vers. 2. Iacob dilexi, Esau odio habui: Cujus sensus intelligitur ex priorē: Odium enim Dei hoc loco significat non illud, quo impaenitentes peccatores odit & aeternum abjicit: Sed quo Esavum negligit & Iacobo postponit. Quo sensu saepius in scriptura usur-

patum

patum videmus, ut si quis venit ad me, & non oderit Patrem & matrem suam, uxorem, filios, fratres, sorores, & animam suam, non est me dignus, Luc. 24. vers. 26. Nemo potest duobus Dominis servire, aut enim unum odio habebit & alterum diliget. Matth. 6. vers. 24. Patet etiam ex ipso oraculo Genes. 25. loqui Deum non de Esavi æterna damnatione, sed ejusdem neglectione seu præteritione in dispensanda hæreditate & promissione. Et huic consentit Prophetæ Malachiæ sententia, præferens populum Israel Edomitis.

Ex hac parte primò de promissionibus divinis tractabimus: tum quos ex Pauli verbis texunt adversarij paralogismos, pro stabiliendo arcano decreto expediemus.

De Promissionibus Dei.

I.

Promissio Dei in genere significat patefactionem vocis divine, qua bonum aliquod generi humano fruendum declaratur & offertur. Hebræi circumloquuntur vocabulum Promittendi: Num. 10. vers. 29. Deus bona locutus est super Israel, id est, promisit Israeli bonum. Et quando tribuitur hominibus Deo aliquid pollicentibus, idem est quod votum, de quo asserit Moses, Num. 30. Promissio vers. 13. quod sit $\gamma\omicron\pi$ ligamen devinciens & obstringens voventem ad reddendum vota sua Deo. Odiu Dei
quomodo
intelligen-
dum.

II.

Sunt autem Dei promissiones aliæ rerum corporalium, aliæ partim corporalium, partim spiritualium, aliæ deniq; spiritualium tantum. Rerum corporalium aliæ sunt conditionales, ut Deut. 28. Si feceris legem Dei, benedictus eris in agro, ædibus, corpore, bonis: Ita posteris Davidis promittitur regia dignitas, si manserint in studio verè pietatis &c. Aliæ sunt gratuita, ut quod Ezechia promittitur vitæ prolongatio ad annos quindecim, Esa. 37. Triplex
genus pro-
missionum
divinaru.

III.

Ad genus promissionum mixtarum referri potest promissio seminis benedicti, quæ etsi est Evangelij propria, quatenus Mediatorem Christum respicit: tamen ut alligata fuit ad certam gentem, stirpem, tribum & familiam, prærogativam carnalem tantum donat. Ideo non omnes quibus annexa fuit hæc promissio, & ex quibus Christus est ortus secundum carnem, Evangelij spiritualium & beneficiorum Christi fuerunt hæredes, quod series patrum & avorum Christi luculenter ostendit. Promissio
seminis
benedicti
quomodo
sit mixta.

Fuit

IV.

Fuit & huic promissioni de seminis benedicti stirpe, adjuncta altera, de sede Ecclesie certa, in terra canaan, quae & ipsa duplicem respectum habet: quatenus enim beneficia Ecclesie propria completitur, spiritualis est censenda, eaque de terra ratione diffundit se etiam ad aliarum gentium homines, ad Ecclesiam in vetere canaan, T. societatem se aggregantes, & quibus nulla sedes aut hereditatis portio in terra Canaan unquam fuit: Sed in quantum promissio illa Certum locum, & populum, & possessionem terrae includit, ad corporalium classem, & ad solos Abrahæ posteros, secundum carnem referenda est.

V.

Et ostendit Apostolus hoc loco Deum in dispensanda promissione hac, inter filios Patriarcharum, non respicere generationem carnalem aut opera, sed πρὸθεσίην suam, κατ' ἐκλογὴν, qua Deus libera sua voluntate Isaacum & Iacobum eligit, ut sint promissionis factæ Abrahamo heredes Ismaëlem & Esavum præterit.

VI.

Deus in electione non est alligatus carnali generationi.

Hoc vero ita accommodat ad præsens institutum, quo de reprobatione Iudæorum & gentium electione ad salutem æternam agitur, ut ostendat Deum in promissis suis nunquam simpliciter alligatum fuisse generationi carnali, sed κατὰ πρὸθεσίην suam sine consideratione operum elegerisse aliquos, ut promissionis essent heredes, reliquis neglectis.

VII.

Multo vero minus in promissione spirituali gratiæ misericordiæ & salutis æternæ, Deum alligatum esse generationi carnali, quasi simpliciter hos, qui ex Abraham nati sunt, pro filiis suis & gratiæ heredibus velit agnoscere, quomodocumque se habeant, sive Evangelio credant sive non: Sed in hac quoque agere tantum κατὰ πρὸθεσίην & eligere homines sine operibus, aut eorum meritis, gratis sola gratia.

VIII.

Hoc loco non tractat

Paulus ordinem electionis, sed tantum non

strat primam causam videlicet

Sed qualis nam hæc sit Dei πρὸθεσίης, & quomodo fiat electio, hoc loco non explicat Apostolus: ac proinde ineptè & ἀπαιδέτως hinc concluditur πρὸθεσίης & ἐκλογῆς talis, quæ sit absoluti, beneplaciti ac decreti divini omnes causas antegredientis, Plus enim subsumitur, quam præmissa Apostoli assertio patiatur. Ac deinceps dicendum erit, qualis nam Dei eligentis nos ad salutem sit πρὸθεσίης, quænam ἐκλογῆς.

IX.

Aliæ denique promissiones sunt simpliciter rerum spiritualium, gratiæ & misericordiæ Dei & vitæ æternæ: Et harum aliæ sunt legales, aliæ Evangelicæ: illæ habent annexam conditionem perfectæ obedientiæ: ut Luc. 10. Hoc fac & vives.

vives. Gal. 3. Qui fecerit ea vivet in eis. Quae non sunt promulgatae divinitus quasi per opera legis in hac naturae corruptione vitam consequi possimus, aut debeamus aeternam, sed ostundunt, quae sit Legis divinae conditio, & nostram arguunt miseriam, quae sicuti ab obedientia, ita & a praemijs in lege promissis longe absimus.

Dei πρὸ θεοῦ, εἰ-
q̄ liberam
a carnali
generatio-
ne.

X.

Promissiones Evangelij vocamus dicta Scripturae quae de misericordia & benigno Dei affectu & voluntate erga homines lapsos agunt, quae annunciantur peccatoribus, tum quod Deus non velit eorum quemquam perire, sed omnes salvos fieri, tum qua ratione possint effugere maledictionem legis, iram Dei & aeternas penas, nimirum si agnita veritate poenitentiam agant & in Christum credant: His vero, qui jam actu in Christum credunt, annunciant gratiam Dei & remissionem peccatorum & promittunt vitam aeternam gratis.

Promis-
siones E-
vangelij.

XI.

Hae dicta Evangelij universalis sunt duum generum. Alia simpliciter sunt universalis, alia limitate: simpliciter universalis sunt, quae de gratia Dei, misericordia & dilectione erga totum mundum concionantur, ut Ioh. 3. Sic Deus dilexit mundum ut filium suum unigenitum daret 1. Tim. 2. Deus vult omnes homines salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire, 2. Pet. 3. Deus non vult perire quemquam, sed omnes reverti ad poenitentiam. Ezech. 18. Vivo ego, nolo mortem peccatoris sed, ut convertatur & vivat.

Promis-
siones &-
πλῶς v-
niversales

XII.

In hisce scripturae testimonijs Dei Patris voluntas erga genus humanum patefacta est, quod videlicet neminem omnium hominum absoluto quodam decreto creavit, aut praordinavit ad interitum, sed quod totum mundum sincero amore dilexerit, & hujus suae voluntatis testimonia ac documenta infallibilia ediderit, missione filij, & religione juramenti, ut per duas res in quibus impossibile erat mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus: Ideo Christus sincerè deplorat interitum Iudaorum Luc. 19.

XIII.

Firmiter itaq; insistendum huic fundamento adversus omnes insultus calvinianae factionis, quae fingit in his dictis particularitatem, & statuit Deum Universalis non dilexisse omnes homines, sed tantum aliquos e mundo, ac Mundi vocales probulam Synecdochicè interpretantur nova atq; omnibus seculis inaudita, & missionum scripturae inconsueta ratione, pro electis: & Deum ajunt velle salvari omnes quare urhomines, hoc est omnium ordinum ac nationum aliquos, seu, non singulos genera, veram, sed genera singulorum,

Etsi

XIV.

Refutatio particula- ritatis Cal- visiane. *1.* Et si autem hanc interpretationem dictorum Pauli, ex Fulgentij commentario de Incarnatione cap. 31. desumptam, non ignoramus: Tamen quo minus eam tanquam Scripturae consentaneam, admittamus, cause sunt gravissimae: Principio enim disertis Apostoli verbis infertur injuria, Neque enim is dicit: Deus quos vult salvos facere ex omnibus, hos salvat, sed in genere loquitur de omnibus hominibus, Deique erga eos clementissima affectione, qua omnibus finem, & media ad finem ducentia proponit, hoc est aeternam salutem, & veritatis agnitionem.

XV.

2. Ad haec glossa ista Deo per insignem blasphemiam tribuit hypocriticam simulationem, quasi aliud verbis testatum faciat, aliud vero corde occultatum premat. Imò quod juramenti etiã religione firmatum promissionem non serio edat, & tyrannorum more eorũ deploret interitum, quos à se ad damnationẽ conditos os non ignorat, in quibus, omnibus cum extrema impietas, cum notoria absurditate certet, perspicuum est universalitatem promissionum firmiter asserendam esse.

XVI.

3. Nec potest hac universalitate convulsa, vlla monstrari certitudo, in qua conscientia afflictã tunc conquiescat, cum Dei clemens & benigna voluntas absoluto decreto restricta, plurimos spe aeternae salutis excludat nulla alia de causa, quam quod Deus eos nunquam salvari voluerit.

XVII.

Cumque missio filij, quae est huius benignae voluntatis divinae, qua de loquimur, effectus, ac certum τὰ πάντων, non spectet ad certum quoddam genus hominum, sed Christo ipso teste, ad mundum, seu totam humani generis societatem, non debet certè voluntas Dei de salvandis hominibus, ad paucos tantum restringi.

XVIII.

Præterea cum satisfactio Filij Dei, præstita legi, sit universalis, ratione intentionis, & efficaciae spectans ad omnes omnino homines, quod alio loco a Deo probatum daturum sumus, necesse est, eidem quoque benignam Dei voluntatem inclusam esse: Neque enim præter, aut contra Dei voluntatem Christus est mortuus pro omnibus hominibus.

XIX.

Quorsum etiam universalis vocatio omnium hominum ad beneficia Evangelij amplectenda spectat, si voluntas Dei erga omnes non est universalis, Mar. 26. Matth. 28.

Fulgentij

XX.

Fulgentij autoritas & interpretatio, etsi tam perspicuis scripturae fun-
damentis praeferrri non debet, eatenus tamē potest admitti, si nō de antecedente Dei
voluntate, sed de consequente intelligatur, qua fatemur, Deum non aequae esse
affectum erga credentes & non credentes: illos enim salvat, hos converti &
salvari quidem vult, sed quia non convertuntur non salvat, sed condemnat.

Explicat
tur inter
pretatio
Fulgentij.

XXI.

Estq; hoc alterum genus promissionum Evangelij universalium, quibus
inclusa est consideratio mediocum Christi, videlicet per fidem apprehensis. In
priori enim promissionum genere considerantur caelestia bona, missio filij, et prae-
dicatio Evangelij, prout ea offeruntur toti humano generi ex aequo: in posteri-
ori vero genere eadem bona considerantur, prout ea ab hominibus apprehen-
duntur.

Promissi-
ones Evā-
gelij deter-
minat.

XXII.

Quae applicatio cum non fiat ab omnibus, determinationem affert pro-
positionum universalitati, ut Job. 3. Omnis qui credit in Christum habet vitam
aeternam. Vult quidem Deus voluntate antecedente, ut omnes homines vitam
consequantur aeternam, vult etiam ut omnes credant, & credendo salventur:
Sed quia non omnes credunt eaq; hominum ἀπιστία & ἀπειθεία, Dei sapientiam
non fugit: Ideo vult ac statuit credentes quidem salvare, relictis incredulis in
sua impietate, & quae huic est annexa aeterna miseria.

Collatio
duplicium
promissio-
num Evā-
gelij.

XXIII.

Haec duae species promissionum Evangelij universalium, non sunt contra-
ria sed subalterna. Posterior enim praesupponit priorem: et prior includit po-
steriorem: prior indeterminata ostendit & ordinem à Deo praefinitum in nego-
cio salutis, et quibusnam pateat aditus ad istum ordinem amplectendum, videli-
cet omnibus omnino hominibus nemine excepto. Posterior vero determinata
concernit eos, qui ordinem hunc actu amplectuntur, & verbo obediunt. Hoc
enim qui negligunt, hi à promissione salutis διαζήσαντες excluduntur.

XXIV.

Non sunt igitur duo distincta propositionum genera confundenda, nec
ordo quae posterioris generis promissiones disertè non tantum, ut constitutum
divinitus, sed etiam ut usurpatum, habent inclusum, ex decreto Dei & pro-
missionibus Evangelij, est exturbandus.

B 2

Patet

Solutio *Iudeis obiectantibus tribuit: Si Deus aliquos vult damnari promissiones Dei sunt irritae: Committitur enim partim error κατὰ τὸν θεὸν, cum accidat promissioni, quod non ab omnibus apprehenditur, partim confusio diversi generis propositionū: Antecedens enim loquitur de voluntate Dei determinata, consequens de indeterminata. Idem enim Deus qui credentes salvare vult et salvat, Non credentes quatenus sunt & manent tales, nec vult salvare voluntate consequente, nec salvat.*

Corollaria.

Spiritualia bona & ἡ δωρεὰ Dei iusticia & hereditas vite aeterna non contingunt homini generatione carnali 1ob. 1. Eph. 2.

In eligentis Dei considerationem nulla veniunt hominum merita praesentia aut futura.

Secunda obiectio pertinens ad quaestionem

AN jure sit factum nec, ne, hoc est merito Iudei sint reprobati, cum sint iusticiae sectatores, & gentes omni injusticia repletae in eorum locum à Deo electae. Videtur haec esse iniustitia, paribus tribuens imparia. Respondet Apostolus καὶ γένοιτο, compescens nimirum licentiam ingenij humani, Dei iustitiam temerè carpentis 2. Distinguit causas electionis veras à falsis: Si electio esset ex debito, tum aequalibus aequalia merito tribuerentur: At electio divina non pendet ex nostris operibus & voluntatis nostrae arbitrio aut cursu: Sed ex sola Dei eligentis misericordia, qui quos in gratiam recipit, hos merito οὐκ ἐξ ἑαυτοῦ recipit. Monstrat itaq; his verbis Apostolus primam ac principem electionis causam, videlicet non opera nostra, non fidem, non cursum aut voluntatem, sed Dei misericordiam. Interim vero, quorum Deus velit misereri & quomodo, non disputat hoc loco Apostolus, ac proinde qui ex hoc loco absolutam Dei misericordiam & dilectionem, ordine excluso, constituunt, per paralogismo τὰ ἐξ ἑαυτοῦ τὸ καὶ ἀποστρέφει sententiam paulinam evertunt, sententia enim dicti Mosaiici Ex-or cuius od. 33. vers. 19. est: Cujus misereor, hoc est, quē in gratiam recipio, et vita aeterna dono, hujus misereor, hoc est, eum non ex debito aut merito cursus sui, sed ex misericordia gratuita suscipio: Hanc sententiam dicti, & scopum allegationis irrefragabiliter demonstrant verba sequentia. Non est igitur volentis nec currentis, sed Dei miserentis.

Illustratur haec responsio à contrario misericordiae divinae, videlicet, induratione, prolato Pharaonis exemplo, cui severis mandatis & gravissimis supplicijs frustra admonito, tandem minatur Dominus, nisi conversus populus Israël.

Israëel dimiserit, fore ut longè atrociores pœnas & prodigiosas calamitates sibi ac toti Aegypto attrahat, Deusq; potentiam suam adversus hostem populi sui, & contemptorem mandatorum suorum ostendat. Vim faciunt huic textui, Quomodo qui Pharaonem à Deo ita excitatum & impulsum arbitrantur, ut peccaret & Pharaon pœnas sibi accumularet. Pharaonis enim contumacia negans populo Israëli-
tico liberationem à servitutis iugo, nequaquam fuit immissa aut instillata divinitas, sed omnino fuit spontanea, ex cæca dominandi libidine, & impio adversus Deum furore Diaboli instinctu profecta. Hanc vero Deus ita moderatur & ad hunc finem Ecclesiæ utilem ac sibi gloriosum dirigit, ut ex Pharaonis impietate ansam potentia sua declaranda & gloria manifestanda accipiat. Quare nisi Univerſa scripturæ vim inferre, Deum peccati autorem constituere, & in peccatis hominum necessitatem quandam fatalem statuere velimus, dictum hoc de gubernatione finis intelligamus necesse est.

Concludit denique Apostolus solutionem objecti de justitia Dei, quod ea tam in misericordia eius quam induratione perpetuò sibi constet immota. Iustus Iusticia enim est ubiq; Dominus, sive homines induret, sive ex misericordia eosdem salvet. Atq; eatenus dictum hoc κατὰ τὴν hoc loco accipiendum est, ut presenti ta est, argumento de Dei justitia respondeat. Alia quæstio est, quos nam Deus velit indurare & quorum nam velit misereri. Hanc enim Paulus hoc loco non determinat, neq; utrumq; indurationis & misericordiae effectum ab absoluta Dei voluntate suspendit, sed tantum respondet ad objectionem de justitia Dei, ostendens eam perpetuò sibi constare etiamsi alios misericordia sua complexus salvet, alios vero induratos abiciat.

Tertia obiectio Iudæorum nascitur ex præcedenti responsione Apostoli. Si enim Deus cuius vult miseretur, & quem vult indurat, quid igitur de induratione hominum conqueritur, cum voluntati eius nemo resistere possit: Reducitur etiam hæc obiectio ad quæstionem, An Iudæi sint reprobi, quod ipsis negantibus, Paulus affirmat. Ratio ἀποφάσεως erat, quia Iudæi accusantur gravissimè propter indurationis crimen: Quod si id ex Dei voluntate dependeret, sane immerita esset omnis illa reprehensio incredulitatis Iudæorum. Idem de reliquis hominibus potest affirmari: Si enim ex voluntate Dei absoluta aliqui sunt reprobati, ubiq; non credentibus in filium Deus justè irasci non poterit, cum nihil contra eius voluntatem cui nemo resistere possit, facere videantur. Oritur itaq; hæc Iudæica obiectio inde quod quæ de induratione superius dicta sunt, referuntur à Iudæis ad voluntatem Dei antecedentem & simplicem, quasi secundum eam aliquos simpliciter salvos, nonnullos reprobos esse velit.

Responsio Apostoli triplex est in textu. Prima Rhetorica πρὸς τὸ ἀδελφωπὸν, reliquæ duæ πρὸς τὸ πρῶτον. Prima reprehendit petulantiam humani ingenij

Idem Calvinianorū est error, referentiū illud, Quæ vult ad voluntatem antecedentem.

genij volentis metiri Dei justiciam & sapientiam. Quicquid enim dicit vel agit Dominus, id non ideo justum est & æquum, quia nobis videtur tale. Sed quia id per se justissimum est perfectissimumq; idcirco nobis quoq; tale videri debet. Ipse enim est mensura veri & justi, non humana ratio.

Secunda responsio ducta est à minori: Si figulum ex eadem massa formantem diversissima vasa nemo carpit. Num si Deus jure suo uteretur, & pro libera voluntate crearet vasa gloriae, & ignominiae, foret hoc nomine accusandus? Sic à nonnullis explicatur hic textus de jure Dei: Sed commodior est interpretatio quæ locum hunc de facto divino intelligit, nimirum: Deus non est injustus, si ex eadem massa homines à se conditos, partim in gratiam recipit, partim indurat, cum videlicet causas utriusq; facti habeat justissimas, gravissimasq;.

Tertia responsio habet redditionem veræ causæ, ob quam Deus irascitur induratis, quia nimirum sunt vasa iræ, magna maxq; duplici tolerata. Unde autem sunt vasa iræ? Sunt κατηγρισμένα preparata. A quo? Deo ne? Sic quidem Calviniani, quia vocem κατηγριζειν de opere creationis formationisq; nominant, & destinationis ad interitum interpretantur, perinde ut figulus facit vasa iræ, & ατιμιων: Sed huius opinionis impietas partim inde liquet, quod ea in manifesta Scripturæ testimonia, de dilectione Dei erga genus humanum totum atq; universum impingit, quæ supra in doctrina de promissionibus sunt explicata, partim quod Deo impietatis humanæ causam ascribit: Deus enim vasa iræ non facit, sed invenit, sicut & vasa gratiæ non invenit, sed facit. Præterea textui huic evidenter repugnat, quo Deus vasa iræ in magna patientia tolerare dicitur: At quare toleraret, si eos tales condidisset, cum posset non condere. Quare certum hinc est, quod homines à Satanae & propriæ voluntatis extrema perversitate præparentur, ac fiant vasa iræ, destinata ad interitum: Ea vero tantummodo tolerat, Deus magna patientia, pœnitentiam eorundem expectans Rom. 2. v. 4. & 5. 2. Pet. 3. v. 15. Quæ si non sequitur, in eisdem iram suam & poteret vasa iræ, illis evertendis, qui furenter Deo se opponunt.

Amplificat hanc tertiam responsionem antithesi Electorum, sicut enim in his, tanquam vasis gratiæ à se præparatis, demonstrat divitias gloriæ, & bonitatis suæ: Ita in reprobis, tanquam vasis iræ, propriæ suæ culpa præparatis, & à Deo magna patientia toleratis, iram & justiciam suam declarat.

De Induratione.

Induratio est opus, tum perversi cordis humani furenter opponentis se mandatis Dei, tum Satanae, qui permissione & judicio Dei eorum qui petulanter resistunt

resistunt verbo Dei, idq; blasphemant, excæcat mentem & corda, ut videntes non videant, & audientes verbum non intelligant, neq; ad agnitionem veritatis perveniant, vnde præ fractis quidem et contumacibus, æternum exitium aggravatur, Dei verò potentia & gloria illustratur.

I I.

Cum indurationem opus vocamus, manifestum est, nos non de naturali duritie cordis humani loqui, secundum quam omnium hominum corda sunt lapidea, nec capiunt vocem Dei, nisi is ablata duritie substituat cor carneum. *Induratio est opus.* Ezech: 36. Sed de malicia acquisita præter naturam non modo integram, sed etiam corruptione naturali depravatam, Ita alia ratione ruunt adversus Deum Cain & Pharaon, quam Scipio, Pompeius & c.

I I I.

Hoc opus Scriptura alibi excacationem vocat Esa. 6. vers. 10. Ioh. 12. vers. 40. 2. Cor. 4. vers. 4. quod nimirum mens facultate intelligendi seposita non dijudicat etiam ea objecta, quæ vel per se vel Spiritu S. operante dijudicare poterat. Magi enim Pharaonis, evidentia miraculorum admoniti, digito Dei à Mose & Aarone res stupendas effici agnoscunt & fatentur: Ita poterant judicare Pharisei de operibus Christi, sed sua sponte nolunt. *Cognati termini in scriptura.*

I V.

Hebræa lingua plerumq; utitur verbo *קָשָׁה* quod significat indurescere, ut, flecti tractari nequeat, Notat enim naturalem malitiam ac duriciem cordis, novis incrementis et accessione augeri.

V.

Vtrumq; enim sub hoc verbo potest intelligi, tum quando ex molli fit durum, tum quando ex duro fit durius, ut ferrum candens aqua extinctum. Ita cernitur hoc malum tam his qui semel renati fuerunt, sed sua sponte averterunt se à pietatis studio, ut Sauli, Iudæ, & Phariseis, qui in pueritia circumcisi, regenerationis donum sunt consecuti, quàm in illis, qui nuncquam fuerunt renati, ut Pharaoni.

V I.

Interdum etiam utitur Hebræus textus verbo *אָרָבָה* quod significat aggravare, quasi ponderis majoris mole impediatur cor, ne se erigere ad contemplanda Dei opera, & amplectenda oblata benefacia possit. Esa. 6. vers. 10. hoc verbum tribuitur auribus, quando facultas excussim vitioso humore intus gravatur, aut forinsecus obstructæ aures impediuntur, ut sonum oblatum vel omnino non percipiant, vel ægrè, ut Math. 13. vers. 15. *Καὶ ἔωσεν τὸ αὐτῶν ὄραον:* Ibidem oculis tribuitur à *אָרָבָה*, quod significat oblinire, verstringere, ne videndi officio fungi queant: Cordi tribuitur incrasatio à *אָרָבָה*: impinguare, quod videlicet corda quasi pinguedine incrasata, stupida fiant, & inepta ad intelligendum. *Emphasis vocum in hoc fontibus.* *Græcorum*

VII.

Græcorum quoq; vocabulorum emphasis considerata, utiliter multa monent: Septuaginta interpretes tribus præcipue verbis efferunt indurationem, per κατιχύειν, quod alias neutraliter significat prævalere, hoc loco transitivè pro roborare usurpatur, quando quis cor suum confirmat ad resistendum Dei. παχύειν increassare seu pignem & per consequens stupidum reddere: Nam Physiognomis testibus cor obesum & magnum denotat ingenium hebes & stolidum.

VIII.

Usitatissima vero Phrasis est σκληρύνειν, hoc est, indurare σκληρόν significat durum ex ariditate, propriè oppositū molli, aut laxoq; derivant Grammatici à σκέλλειν, hoc est, arefacere & exiccare. Transfertur itaq; ad cor hominis, quando id succo divine gratiæ exhausto obdurescit instar luti.

IX.

Iohannes cap. 12, vers. 40. & Paulus. Eph. 4. vers. 18. ut & Marcus cap. 6, vers. 52. Indurationem cordis vocant πώρωσις, quando scilicet partes molles callum obducunt, & indurescunt, multo usu, ut fit in plantis pedum ac manuum.

X.

Et sicut superiora tria ad cor referuntur, ita præcipuorum membrorum induratio peculiari verborum emphasi describitur, ut oculis tribuitur κατάμυειν vel καμύειν, quo verbo utitur Matthæus cap. 13, vers. 15. Act. 28. v. 27. Significat autem μύειν claudere, ac propriè usurpatur de ore & labijs, cumq; tribuitur oculis significat conniuere: Ac notat Spiritus Sanctus spontaneâ impiorum oculos cludentium malitiam et quæ hanc consequitur excacationem, quam Iohannes cap. 12, vers. 18. vocat τυφλώσις.

XI.

Auribus tribuitur ἐαγύειν Matth. 13, vers. 15. Unde ἐαγυήκοοι dicuntur surdastris, Notatur enim & peccatum & pœna induratorum, tum quod audire nolint, tum auribus à Diabolo obturatis audire nequeant. Cervici item tribuitur induratio Deut: 10, vers 16. Similitudine à Iumentis indomitis sumpta, quæ commodo subjugari nolunt. Ita frontem præfracti populi induratam, ut petram ait Dominus apud Ieremiam cap. 5, vers. 3.

XII.

Hæc grammatica annotatio vocum ex fontibus linguarum ideo traditur, ut non tantū propria vis phræseos Hebraicæ innotescat, sed simul formalis causa indurationis conspiciatur: Hanc enim qui non attentè considerant, multis disputationibus de eius causa efficiente implicantur. Patet igitur ex prioribus Indurationem esse opus, quo oculi clauduntur & excacantur, aures obturantur, cervix & frons erubescere nescia indurantur, cor deniq; ipsum cui intelligentiæ

gentie & voluntatis vim tribuit scriptura, impinguatur, increpatur, aggravatur, & callo obducitur, ne intelligat, neve amplectatur res verbo Dei monstratas.

XIII.

Huius itaq; operis in homine causas efficientes in descriptione supra posita. Tres causas, accurato discrimine ponderare necesse est: Tribuit enim Scriptura idem opus se efficientibus simul causis plurimum inter se differentibus, nimirum homini, Diabolo, & Deo, tes indurationis.

XIV.

Quod impij se ipsos indurent, patet exemplo Pharaonis, de quo manifeste scriptura hoc affirmat: Exodi 7. v. 13. & 22. Et roboravit se cor Pharaonis & impij se ipse non audiuit eos. Exodi 8. v. 19. & imprimis Exod. 9. v. 35. Et addidit Pharaonis ad suos indupeccandum, & aggravavit cor suum ipse, & servi eius. Exod. 13. v. 15. Et factum est cum indurasset se Pharaonis.

XV.

Idem etiam de alijs impijs affirmat scriptura: Deut: 10. v. 16. Cervicem vestram ne induretis amplius. 2. Reg. 17. v. 14. Induraverunt cervicem suam juxta cervicem patrum suorum, Jerem: 5. v. 3. Induraverunt facies suas sicut Petram, renuerunt reverti. Et in hanc sententiam saepius usurpatur à Jeremia ut cap. 7. v. 26. & 17. v. 23. & 19. v. 15.

XVI.

Ex quibus exemplis liquido patet, Hominibus ascribi culpam indurationis suae, dum spontanea & pernicacia inobedientia & malitia, opponunt se manifestae veritati agnita eamq; blasphemant: Vel etiam in peccatis contra conscientiam pertinaciter perseverant.

XVII.

Sunt igitur homines ipsimet sibi indurationis suae causa, dum vel potentiae vindictae, voluptatum gloriae, divitiarum, aut opinionum suarum tuendarum studio, monstratae veritati repugnant, seq; à sancto proposito avertunt: Has enim diversas impellentes causas in Caino, Pharaone, Iuda, Iudaeis Alijsq; induratis cernere licet. Impulsivae
causae spontaneae indu-
rationis.

XVIII.

Altera causa indurationis est Diabolus, adjuvans malignum hominis Diabolus contumacis propositum, eumq; tenebris ac peccatis subinde magis magisque immergens: Sicut dicitur 2. Con. 14. v. 4. Deus huius seculi excecavit mentes eorum qui pereunt, ne irraderet eos lux Evangelij gloriae Christi.

XIX.

Patet itaq; ex causa formali, & efficientibus causis per se, indurationem esse per se Induratio
est per se
verè ac peccatum.

verè, ac natura sua peccatum esse gravissimum, atrocissimumq; , quod insligante
& adjuvante Satana, homo propria voluntate committit.

XX.

Tertio Induratio plurimis scripturæ testimonijs Deo tribuitur Exod. 4. v. 21. Ego indurabo cor Pharaonis. Exod. 9. v. 12. Induravit Dominus cor pharaonis, Esa 63. vers. 17. Indurasti cor nostrum, ne timeamus te. Rom. 9. Dominus quem vult indurat.

XXI.

Et consimili sensa multa Deus dicitur facere, quæ naturæ ipsius repugnant, ut tradere in mentem reprobam Rom. 1. Excæcare Esa. 6. decipere, Ezech. 14. dare spiritum mendacij in ore Prophetarum 1. Reg. 22.

XXII.

In his & similibus testimonijs explicandis, diligenter cavendum est, ne Deum peccati, quatenus peccatum est, autorem vel impulsorem ulla ratione statuamus: Siquidem hoc & naturæ ipsius sanctissimæ perfectissimæq;, & voluntati justissimæ, & verbo revelato, è diametro repugnat.

XXIII.

Deus non
est autor
peccati.

Esi igitur Sapiencia *ἑπὶ γῆτας* divinæ modos in hoc mentium caliginè non perspicimus: tamen hoc *ἀναπόδερτον ἀξιωμα*, in tota hac disputatione, instar sacræ anchoræ, firmiter tenendum censemus, & contrarium asserentes, peccatiq; culpam aliquam in Deum conferentes, tanquam hostes divini nominis, & Christianæ religionis, execrandos arbitramur: cum ne Ethnici quidem tales disputatores in Republ: ferendos censuerint.

XXIV.

Vera sententia superiorum diolorum scripturæ.

Eiusmodi igitur testimonia scripturæ referenda sunt ad Dei iudicium iustum ex voluntate consequente ortum, quo vindicatur præcedens hominum peccatorum vicacia, desertione gratiæ & traditione eorum in Satana potestatem. Itaq; induratio quæ respectu sui, est peccatum, respectu consequentium, est causa peccati, respectu priorum peccatorum, fit pœna peccati.

XXV.

Quinque membra iudicii divini in induratione.

In iudicio autem divino distinctè hæc quinque membra sunt consideranda: quæ ordinis & docendi causa distincta, non tamen tempore sunt divellenda. Primum est subtractio auxiliij divini, quæ est præcedentium peccatorum pœna, qua Deus sui Spiritus gratiam et præsidium contumacibus et præfractis aufert. Id verò justo Dei iudicio fieri, sine ulla peccati subsequenti operatione, manifestum est. Hoc enim auxilio destitutus homo, sua sponte ruit in peccatum, unde Pharaos se ipsum indurasse, Exod. 13. Et gentiles semet ipsos dedidisse lascivie dicuntur. Eph. 4. vers. 19.

Secundum

XXVI.

Secundum est Traditio hominis in potestatem Satanae, facta a Deo vinciente impietatem & contumaciam praefractam: Hec quoque, ut a iustissimo Traditio facta ac decreta nihil includit peccati, nihilque iniustitiae. Diabolus enim, tanquam in potestatem iudiciorum Dei irati executor, potestati suae traditus, ita in aeternum exitium tem Satanae precipitat, ut peccata praecedentia, subsequente impietate adaugeant. Nec Deus directe vult aut mandat, ut homines ad peccandum impellat Diabolus, cum is suo ingenio ad hoc vel maxime sit proclivis.

XXVII.

Tertium est Permissio divina, quo Deus sinit agere Satanam, & impios, De permissione divina. cum ipse non impellat eos, ullo arcano impetu ad peccandum, sed ipsi sponte eò ferantur: Psal. 18. vers. 13. Dimisi eos secundum desideria cordium suorum. Ibunt in ad inventionibus suis Act. 14. vers. 16. Deus praeteritis aetatibus dimisit gentes ingredi vias suas. Zach: 8. vers. 10. Dimisi omnes homines, unumquemque contra proximum suum.

XXVIII.

Est autem in permissione hac aliquid exsors & simul exsors, quippiam: Non enim simpliciter invito Deo, hoc est efficaciter impediendo & repugnante peccant homines, cum & dicitur op sit, simpliciter invito Deo quocquam fieri. Neque tamen etiam simpliciter volente Deo peccatum committitur, quia id gravissime odit & punit Psal. 5.

XXIX.

Medium est igitur permissionis divinae praesidium, quae relata ad peccati actum, τὸ ἐκδυσίον Deo ejusque odium includit, estque permissio nolentis. Relata ad finem, non eum quem causae per se agentes intendunt, sed quem divina sapientia inde educit, volentis est.

XXX.

Quartum membrum est Determinatio peccatorum, qua Deus impios non permittit grassari in infinitum, sed determinat ac describit metas quousque illorum impietas proruere debeat: Ita Pharaonem grassantem in Iudaeos coercet, Saulem Davidis vitam insidiantem impedit. Determinatio peccatorum.

XXXI.

Ex quo apparet nos nequaquam Deum quasi ociosum spectatorem fingere, qui naturam creatam suo impetu temere ferri sinat, sed dum impios Satanae excacandos tradit, eosque aliquandiu grassari permittit, metas interim furoris ipsorum constituit, & Ecclesiam suam, quamvis cruce oppressam mirabiliter avertit. Atque hoc certe non est nihil agere.

XXXII.

Quintum deniq; membrum est reductio finium ad normam iusticiæ divi-
næ. Etsi enim Satanas, ac indurati homines exorbitant atq; diversum finem sibi
propositum habent, hi quidem ut cupiditatibus suis obsequantur; ipse vero ut hos
affligat et perditum eat: tamen Deus tantæ est bonitatis, ut mala nulla permissu-
rus esset, nisi bonum quoddam ex eis educere nosset. Tantæ quoq; est sapientiæ et
potentiæ, ut ex rebus in se pessimis fines elicere possit optimos, præstantissimosq;.

XXXIII.

Gen. 50.
Act. 4.

Ac prolixum foret, exemplis hoc illustrare ut Iosephi auditi, & passio-
nis Christi, vel unicum Pharaonis, qui textus noster suppeditat, hujus affir-
mati luculentissimam offert probationem. In hoc enim Pharaeo excitatus est
divinitus, non ut peccaret, Is namq; sua sponte ruebat in peccatum, sed ut in
ipso tanto rege, inermis populi Israelitici hoste, atq; iniquissimo oppressore, Deiq;
contemptore evertendo, ac puniendo gloriam, ac potentiam suam ostenderet
Dominus. Reducitur itaq; induratio Pharaonis ad normam iusticiæ, & quia
pharonis pœna est peccatorum præcedentium, et quia finem inde elicit Dominus Ecclesiæ
productus, salutarem, ac sibi gloriosum.

XXXIV.

Ab his quinque membris quæ à speciali Dei actione circa indurationem ho-
minum dependent, discernenda est generalis Dei actio, sustentantis naturam in
eo statu in quo condita est, quo sensu dicitur in omnibus actionibus concurrere
Generalis Dei actio, quoad substantiam actus: Ipsi enim actus quatenus simpliciter & secundum
se considerantur, non sunt peccata, sed talia sunt ratione objectorum finium,
aliorumve respectuum.

XXXV.

Deus per
accidens
indurat.

Deniq; per accidens Deus indurare dicitur, cum à Diabolo excæcatis
verbum offert, cuius luce magis perstringuntur ipsorum oculi, perinde ut lux
solis nocturnas excæcat. Ita quo magis Deus instat docendo & monendo, tan-
to illi insanunt magis remittendo, donec perniciem sibi attrahant. Etiam hoc
sensu Deus dicitur indurare homines, cum eorum latentem impietatem pro-
trahit in apertam lucem.

XXXVI.

De subiecto
indurati-
onis.

Hactenus de causis indurationum efficientibus, deq; formali ac finibus
ejus dictum. Restat ut paucis explicemus, quos nam Deus ita velit indurare.
Quia enim Apostolus hoc loco inquit: Quem vult indurat, nonnulli causam in-
durations ad meram & simplicem Dei voluntatem ita referunt, ut eos qui hoc
supplicio afficiuntur divinitus, necesse sit indurari, cum decreta Dei immutari
nequeant.

Perpicuum

XXXVII.

Perpicuum autem est ex precedenti explicatione, indurationem Deo tribui, quatenus est pœna propter precedentia peccata inflicta: Unde sensus Paulinae propositionis, quem vult indurat, hic exoritur, Deus quos vult, punit auferendo gratiam suam & Spiritum S. eosq; sibi met ipsis, & Satanae, relinquendo.

XXXVIII.

Si pœna est induratio. peccatum precedat necesse est: cumq; sit pœnarum omnium quæ in hac vita infliguntur maxima, & aeternæ miseriæ quasi initium. Ideo enormem atq; atrocem culpam eiusmodi flagella promerentem, præcessisse dubium non est.

XXXIX.

Quare cum Paulus dicat, Deum Indurare quem velit, non est confugiendum ad arcanam Dei voluntatem, & abscondita eius iudicia, sed operæ pretium est, ex testimonijs & exemplis scripturæ investigare, qui namq; sint quos velit Deus indurare, hoc est, quos sua gratia velit deserere & Diabolo excandos permittere.

X L.

Et Lucas quidem in Actis Apostolicis aliquot monstrat exempla indurationum, ex quibus duo insigniora breviter considerabimus. Alterum extat cap. Ephesini 19. v. 8. Postquam enim Paulus Ephesi in Synagoga per tres menses Evangelij doctrinam proposuerat, auditorum quidam ἐσκληρεύοντο: At quid nam hoc sit per Epexegetin sequentem explicat: ἠπεὶ δὲ οὐ κακολογῶντες τὴν ὁδὸν ἐνώπιον τοῦ πλῆθους. Duo membra tribuit his qui indurabantur: videlicet quod non obedierint voci Evangelij, & quod viam seu doctrinam Domini blasphemarint. Unde consequitur, quod Apostolus ab eis ἀποσῶσ abscedens segregat discipulos.

X L I.

Consimile exemplum extat Act. 13. v. 45. & 46. Vbi Iudæi repleti zelo invidiæ adversus Apostolos, fiunt ἀντιλέγοντες καὶ ἐλασφικμῶντες v. 45. ἀπωδῶντες τὸν λόγον δεῦ, καὶ ἐαυτοὺς τῆς αἰωνίας ζωῆς ἕκ ἀξίως κείνοντες hoc est inobedientes & invidi iudæi contradicunt Evangelio, idq; blasphemant & à se repellunt, seq; ipsos indignos iudicant vita æterna.

X L I I.

Possint itaq; hi gradus peccatorum, quæ indurationem præcedunt & commitantur constitui ex Scriptura. Primus gradus est Inobedientia adversus Evangelium, quæ est fons omnis impietatis, & quæ eam sequuntur peccatorum: Talis est in Saule 1. Sam. 15. Iudæis, Act. 19. Caino Gen. 4.

Quinq; gradus peccatorum

quæ indurationem

precedunt

1. Inobe-

Secundus dientia.

XLIII.

2.
Zelus est
effere te.
der Lehr
und Lehrer.

Secundus gradus est Zelus invidia seu malevolentiae adversus doctrinam
& docentes: Is affectus cernitur in Pharaone adversus Moysen, in Saule ad-
versus Samuelem, Sic Iudaeus proditor ex reprehensione avaritiae & hypocrisis
à Christo facta, concipit Vatinianum odium in præceptorem: Et Iudaei ardent
odio & invidia adversus Paulum Act. 15. Eiusdem ζήλος ἄζήλος igne accensi
quoque sunt Pontifices ac Saducei Act. 5. v. 17. Pharisei Luc. 11 v. 15. Marc.
3. v. 22. Impius autem is est Zelus carens scientia Rom. 10. v. 2.

XLIV.

3.
Blasphemia.

Tertius gradus peccatorum est, quando interiores affectus prorumpunt in
exteriores actus, & inobedientiam ac Zelum sequitur oratio affectui respon-
dens, nimirum maledica & blasphema, Ac tribus utitur verbis Lucas in descri-
ptione huius gradus. Primum enim sunt ἀντιλέγοντες contradicentes veritati
monstratae, idque aliquo prætextu juris & veritatis: Deinde convicti de errore
fiunt κακολογῶντες, hoc est, Evangelij doctrinam multarum absurditatum ream
agunt, & male de ea tanquam impia hæretica & absurda loquuntur: Denique re-
prehensi ob calumniandi libidinem, fiunt βλασφημῶντες, hoc est, petulanter
verbum & opera Dei ascribunt Diabolo, ut Pharisei Luc. 11. v. 15.

XLV.

4.
Persecutio

Quartus gradus est facti externi; ex blasphemis enim fiunt persecutores,
ἀπωθῶντες τὸν λόγον Θεοῦ hoc est repellunt sermonem Dei violenter, id enim
græcæ vocis Emphasis denotat. Talis est Pharaon, qui audito mandato Dei de
dimittendis Israëlitis blasphemat Dominum dicens, Quis est Iehova, ut obe-
diam illi: Nescio Iehovam & Israël non dimittam Exod. 5. v. 2. Postea no-
vis oneribus gravat populum & duriter affligit quasi otio disfluentem. Ita Iu-
dæi contra Ieremiam disserentes, tandem eum in lacum conyiciunt: Pharisei
ex blasphemis fiunt manifesti hostes & persecutores Christi, & Iudaei repellunt
à se sermonem Dei, non modo dum non obediunt, sed etiam dum Apostolos per-
sequuntur.

XLVI.

5.
Initium in-
durations

Supremus gradus peccatorum est σωχεῖς ipsi indurationi, eiusque initium,
quando homines se ipsos iudicant indignos vita æterna Act. 13. v. 46. quos Pau-
lus significantiori vocabulo alibi appellat ἀντιπατακῆτες, Tit. 3. v. 11. qui
nimirum suo iudicio sunt condemnati, & propria conscientia dictante &
decernente iudicium æternæ damnationis incurrunt, eiusque nullo metu commo-
ventur, Unde Eph: 4. v. 19. vocantur ἀπληγκότες, qui sensum omnem ami-
serunt doloris conscientiam pungentis.

Tales

XLVII.

Tales Paulus hoc capite Nono ad Romanos, vocat vasa iræ. κατὰ τὴν ἰσχυρίαν vasa iræ. ἢ ἀπὸ λόγου: Dicuntur autem vasa iræ tum ratione meriti, quod nimirum multiplicibus suis peccatis iram Dei justissimam provocarint, tum ratione effectus, quod in illis induratis cernere liceat iræ Dei efficaciam affligentis contumaces, temporalibus & æternis pœnis.

XLVIII.

Ac facile est ex precedentibus dijudicare, quis nam sit ὁ κατὰ τὴν ἰσχυρίαν, qui homines conformat & preparat ut tales sint, nimirum Deus huius seculi excæ. Diabolus cans mentes infidelium 2. Cor. 4. Et propria hominis voluntas, sua sponte præparat cipiti impetu delata in indurationis barathrū. Neq; enim figuli exemplum quod vasa iræ, Apostolus ex Esai cap. 29. v. 16. & 45. v. 9. Et Ieremia cap. 18. v. 6. retinet, eò debet violenta interpretatione torqueri: quasi Deus æquè præpararet vasa iræ, ut figulus fingit vasa ignominie.

XLIX.

Intelligitur etiam hinc, quomodo vasa iræ dicantur à Deo ἐν ποδῶν μάρτυρων ὑμῶν tolerata: posset enim Deus secundum justiciæ rigorem statim in primo peccatorum gradu, nimirum simplici inobedientia homines desertos Satana excecandos tradere: sed dum ille patienter expectat hominum pœnitentiam Rom. 2. v. 4. Et docendo, monendo, corripiendo instat, interim illi Zelo replentur, fiuntq; blasphemi & persecutores res Evangelij & piorum doctorum.

L.

Tolerantiam hanc Dei ostendunt omnium eorum exempla, quos scriptura induratos fuisse docet: Primi enim mundi homines, cum audito oraculo de Deo diluvij adventu fierent deteriores, & contenderent cum Spiritu Dei, & Noe rat vasa chum justiciæ præconem irriderent ac persequerentur, totis 120 annis tolerantur iræ à Deo, frustra illorum emendationem expectante. Idem de Sodomitis esto justiciū, ad quos aliquot annis ante everisionem mittitur sanctus Loth. Pharaonis impietas & induratio nota est ex illius histodia, nec non Indæorum ante captivitatem Babylonicam, atq; iterum ante postremam everisionem Ierosolymæ. Sic Iudæ perfidiam tolerat Christus.

Ex hac

L I.

Quos Deus
velit indu-
rare. Ex hac declaratione, petita ex fontib. scripturae, patet responsio ad qua-
sionem propositam: Quinam sint, quos Deus velit indurare, nimirum vasa irae,
hoc est, hi qui justam Dei iram & vindictam peccatis provocant, qui non obedi-
unt Evangelio, sed id oderunt, blasphemant & persequuntur: Ac loquitur tex-
tus de voluntate ἐπιμένει, qua praesupposita hominum flagitiosa, ac deplorata
impietate, Deus eos tanquam finaliter impenitentes punit ac perdit.

L I I.

Possunt etiam hinc facile judicari quaestiones, quae in hoc argumento mo-
ventur plurimae ac difficilissimae, qua nimirum ratione Deus dicatur decipere Pro-
phetam, seducere, excacare &c. Non sunt enim illa, de Dei peculiari, arcana atq;
absoluta voluntate, neq; de efficaci impietatis operatione intelligenda, sed de ju-
diciaria Dei voluntate, antegressam hominum impietatem vindicante, ijs mo-
dis, de quibus supra est dictum.

L I I I.

Qui sint
proprie
indurati. Manifestum quoq; est, quinam ex sententia scripturae proprie dicantur in-
durati ἀπότρωξ enim & principaliter tribuitur his, quibus patefactio divina
voluntatis innotuit, sive eam ab initio acceptam, postea repudiarint, ut Iudas,
sive nunquam ei obedierint, ut Pharaon: ἐπιμένει vero & κατ' ἀναλογία
tribuitur etiam his, quibus lux veritatis divinae, nunquam speciali patefactione
affulsit, quales sunt Ethnici, de quibus Rom. 1. & Eph. 4. disputat Apostolus,
quod istas reliquias notionum naturalium plane deleverint, atq; ita ἀπληροφότοι
facti sint.

L I V

Predictio
indura-
tionis non
notat ejus
operatio-
nem. Quod autem Dominus praedicit Pharaonis indurationem, inquit: Ego indurabo
cor Pharaonis, id non ad decretum necessarium, & fatale, neq; ad efficacem
impietatis operationem, sed ad praescientiam aut verius scientiam referendum
est: Sicut ipse Dominus haec verba declarat Exod. 3. Sed ego scio, quod non di-
mittet vos Rex Aegypti, nisi per manum validam. Qualem itaq; Pharaonem fo-
re praevideit, talem etiam praedixit, nec ideo ista erant futura, quia erant praedi-
cta: sed contra quia futura erant, ideo sunt praedicta.

L V.

Aug. Tra.
53. de Job.
Chrysostr.
in 1. Co. 11.
Deus de-
cernit A-
chabum de-
cipiendum. Idem est exemplum de Achabo Rege Israelis, 1. Reg. ultimo, quem ante
bellum Syriacum Dominus consulturum videt pseudopphetas suos, quare ju-
sto iudicio, decrevit eum per eosdem decipiendum, ad quod promptissimam suam
operam offert Satanas, atq; omnem illam ἐνέγγειεν πλάνην in Pseudopphetis
se effecturum pollicetur, quod exemplum liquido declarat, quae indurandi atque
excacandi partes ipsimet Achabo, quae Diabolo tribuende sunt, ac quomodo id
opus iudiciale Deo, scriptura vendicet. Atq;

Atq; hac de induratione ex scriptura fontibus hoc loco dicta sufficiant, quibus aliquot παραλογισμῶν ἀνάλωσις subiiciemus, quibus ex depravata Paulini textus sententia, Calviniani absolutam suum decretum reprobationis cudunt.

Argumentum Primum.

DEUS Esavum sine ullo merito suo odit & Iacobum diligit, ergo decretum Dei in eligendis & reprobandis hominibus, est absoluta voluntatis divina, non ordinata seu determinata.

Responsio.

Multiplex fallacia est huius argumenti: primo petitur principium, dum affirmatur Esavum damnationi aeternae, vigore caelestis oraculi, Major ser- Incertum
viet minori, adjudicatum esse. Neq; enim illud vel Rebecca mater Esavi cui id di- est ex scri-
ptura, an
Elum fuit ita intellexit, vel Malachias Propheta interpretatur, sed tantum de ptura, an
temporali prerogativa minoris, nec non de posteritate utriusque Patriarchae. Esau sine
Adhuc ambiguitas in voce odij supra explicata quaternitatem terminorum rit damna-
importat argumento. Neq; enim de hostili odio, sed de neglectione textus loqui-
tur. Praeterea ἀγνοία ἐλέγχος est, dum id quod Paulus sub ratione typi illatum
voluit, allegatur pro exemplo. Ac deniq; si maxime concedatur ex hypothese,
Esavum vigore istius oraculi esse damnatum: tamen in conclusione substitui- Si damna-
tur falsa causa pro vera. In antecedente enim tantum removetur meritum ope- tus est E-
rum, sed non excluduntur alia media salutis: In consequente, ubi ex Apostolo sau, non id
vera reprobationis Esavi causa poni debebat, nimirum incredulitas Rom 11. contigit il-
substituitur fictitia, videlicet absolutum Dei decretum. li propter
absolutum
decretum.

Argumentum Secundum.

DEUS indurat cor Pharaonis: Ergo induratio est opus voluntatis divinae efficaciter operantis, & reprobationis effectum: Indurare enim, excacare, decipere & similia ἐνέγειον significant.

Responsio.

Primo distionis figura errorem gignit huius argumenti: nam verba in Hi- habet si-
phil & Piel, pro natura subjectorum, non tantum significant effectum, sed gnificatio-
etiam permissionem ac declarationem, ut ex proprietate sermonis Hebraici no- nem per-
tum est. Deinde accidentis & subjecti confusio involvit veritatem, dum in in- missionum
duratione non distinguitur respectus peccati & poenae, nec utrum eorum Deo Exod. 1.
tribuendum sit declaratur. Postremo quod de effectu decreti assuitur non caret v. 17. 10. 2.
impietate v. 13. gen.
12. v. 12.

Etiā ver-
ba Piel

quandoq;

habēt si-

gnificatio-

nem per-

missionum

Exod. 1.

v. 17. 10. 2.

impietate

v. 13. gen.

12. v. 12.

impietate & blasphemia: non enim ideo Pharaon est impius, quia Deus eum talem esse vult, aut ab aeterno decrevit: sed quia impietatem ejus praevidit, idcirco eam Deus praedixit, & ad certos fines direxit.

Argumentum Tertium.

Deus ad hoc excitavit Pharaonem, ut in ipso contemnendo ostendat potentiam suam: Ergo Deus Pharaonem creavit ad interitum, eumque peccare voluit, ut haberet materiam exercendae justitiae & potentiae.

Responsio I.

Nemo creatus est ad interitum. **F**allacia phraseos est in argumento, excitare enim non significat creare: ac falsum est Pharaonem conditum esse ad interitum, cum de fine creationis judicandum sit ex universali regula de voluntate Dei erga genus humanum. 2. fit confusio causarum efficientis & finalis: Dicitur textus intelligendum est de salutari fine, ad quem Deus impietatem Pharaonis dirigit, non de efficiente, quasi Deus voluerit ipsum esse impium, ut gloriam suam in eo ostenderet.

Argumentum Quartum.

Deus tanquam figulus ex eadem humani generis massa facit vasa honoris, & interitus: Ergo aeterno atque absoluto suo decreto, aliquos ad gloriam elegit, quos necesse est salvari, quosdam absoluta ac simplici sua voluntate reprobavit, qui necessario pereunt.

Responsio I.

Rom. 12. propheta sit analogia fidei. **I**n argumento est ἄγνοια τῶ ἐλέγχῳ. Paulus enim similitudinem figuli neque ita ponit, neque accommodat, ut in antecedente argumenti posita est, sed tantum loquitur vel de jure Dei, nimirum, Deum non fore injustum, si quiddam figulo simile faciat, vel confert effectum utriusque non causam: sicut figulus aliud vas facit honoris, aliud ignominiae: ita Deus gravissimis impulsus causis, cum omnia inveniatur vasa irae, quaedam ex his eligit, ut sint vasa gloriae, quaedam vero reijcit, ac reprobat. Quae autem sint illae causae hoc loco non explicatur, sed aliunde ex scriptura planum est: hujus nimirum, finalis incredulitas: illius, Christus fide apprehensus, Rom. 11. 2. Manifeste corrumpitur textus Pauli in antecedente: Deus enim non dicitur preparasse vasa irae, ut figulus vasa ignominiae. 3. **Dissimilitudo in exemplo figuli.** Dissimilitudo exempli perspicua est: primo: Figulus facit utriusque generis vasa: Deus vasa irae non preparat, sed parata invenit. Figulus pro arbitrio hanc distinctionem unius massae in vasa honoris & ignominiae facit, Deus vero gravide causa: Figulus utriusque generis vasis deletatur: Deus vasa irae tolerat in magna patientia, & longanimitate: Vas ignominiae figulinum semper manet tale:

At qui nunc est vas iræ, per emendationem seu penitentiam veram, potest fieri vas gloriæ, docente Apostolo, 2. Tim. 2.

Descriptio Electorum.

I.

FActa mentione vasorum iræ & gloriæ, Apostolus breviter explicat quæstionem, quinam sint electi, & quæ eorum attributa. Ea ordine ex textu eruta, ὡς ἐν τῷ αὐτῷ persequemur, pleniorē doctrinā de Electione explicationē ad ἀνάλογον capituli Undecimi remittentes.

II.

Septem itaq; attributis, Electi insigniuntur hoc textu: 1. sunt vasa misericordiæ: 2. sunt vasa gloriæ: 3. sunt à Deo preparata ad gloriam: 4. Electi sunt attributa, vocati à Deo: 5. sunt collecti ex Iudæis & gentibus: 6. sunt filij Dei viventis: 7. sunt reliquiæ & tanquam residuum semen inter zizania.

III.

Electi sunt σκευὴ ἐλέους, non tantum quia apud Deum in gratia sunt: sed etiam, quia sunt in fonte gratiæ Christo Iesu, in quem credunt, Rom. 8. vers. 1. Eph. 1.

IV.

Electi sunt vasa gloriæ, in quibus Deus divitias gloriæ suæ exeret. πλοῦτος δόξης, non tantum significat corporalia beneficia, specialem Dei præsentiam, ac mirandam gubernationem, ac defensionem sanctorum, Psal. 4. & 26. sed principaliter significat magnam copiam donorum spiritualium, fidei, constantiæ, & consolationis in cruce, nec non triumphum illustrem adversus Diabolum, mundum & carnem, ac in æterna vita latitiam ac gloriam sempiternam.

V.

Non nos ipsi eligimus, sed Deus προετοιμάζει hæc vasa gloriæ. Hac phrasi discernuntur electi à reprobis, quos Deus non preparavit; & adimitur omnis Deus cælogloriatio libero arbitrio, & modus quo Deus vasa gloriæ preparat innuitur, et ordine nimirum, quando ex filiis carnis & peccati, facit filios gratiæ per regenerationis donum, collatum per verbum & Sacramenta his, qui eorum efficaciam non vasa gloriæ impediunt aut excutiunt pertinaci inobedientia. Sicut enim Deus nos salvare decrevit ab æterno, ita salvat in tempore.

VI.

Electi sunt vocati: Hic enim ordo est, quo decretum electionis factum ab æterno datur executioni: Rom. 8. Electi enim omnes vocantur: proinde electi vocati cæterum vocatorum non sunt Electi. Plures tamen sunt vocati, quam electi, Matth. 20. & 22.

VII.

Electi colliguntur ex Iudæis & gentibus: Hoc Apostolus scripturæ testimonijs

limonijs confirmat, v. 25. & 26. Vana est igitur gloriatio prerogativa carnalis: Et ad gentes quoque pertinent beneficia Ecclesiae propria, verbo & Sacramentis inclusa, Act. 13.

VIII.

Electi credunt.

Electi sunt filij Dei viventis: Ergo vocatio apud illos non fuit inefficax, sed operata est in auditoribus fidem, qua reddimur filij Dei, Ioh. 1. Gal. 3.

IX.

Cetus electorum semper manet in mundo.

Postremo Electi sunt in mundi vasta mole tanquam κατάλειμμα & residuum σπέρμα in sterili agro, Esa. 1. v. 9. & 10. v. 22. Nunquam igitur peribit funditus electorum catus in mundo, sed semper conservabitur aliquod semen.

X.

Deus enim adversus Iudaeos concepit sermonem, seu sententiam judiciariam, de eorum reprobatione, sed tamen memor justitiae, & promissionis factae Iudaeis, decretum illud quoque abbreviabit, aliquas reliquias gentis judaicae subtrahens excidio, & hac ratione decretum correctum, & abbreviatum perficiet seu exequetur.

Tertia pars capituli.

HAETenus demonstravit Apostolus reprobationem populi Iudaici, & electionem gentium neque contra promissiones Iudaeis factas, neque contra justitiam Dei esse. Deinceps explicatur causa utriusque: eam non ex absoluto decreto Dei, sed ex consideratione hominum erutam proponit Apostolus.

Ac primo de gentilibus respondet, quare sint electae v. 30. Quia cum sua natura essent pessimi, nec sectarentur justitiam, postquam audiverunt Evangelium de Christo, divinae huic vocationi per spiritus sancti gratiam obtemperantes, hanc viam consequendae salutis per fidem Iesu Christi amplexi sunt, & Christo insiti, Rom. II. vers. 20.

Deinde Iudaeos duplici de causa reprobatos docet: harum prima est studium propriae justitiae legalis, quam dum sectantur, a vera justitiae lege, seu ab ea doctrina, quae veram justitiae consequendam rationem tradit, aberrant, v. 31. Et causa est, quia non ex fide gratis volunt justificari, sed ex operibus Legis, v. 32. Altera causa reiectionis est scandalum acceptum ex vili persona Christi salvatoris, quem pro Messia acceptare noluerunt, cum tamen is sit verus lapis angularis Ecclesiae, sed ipsis factus lapis offendiculi, Esa. 8. v. 14. & 28. v. 16. Utramque causam reducit Apostolus cap. II. ad unam ἀπισίαν.

Atque haec de textus ἀναλύσει: Caterum de electionis & reprobationis causis capite II, aliquid dicendum erit.

Soli Deo Gloria.

AB 22 841 (1)

ULB Halle 3
002 043 793





Sb.

W19

Hilf.







DISPUTATIO VNDECIMA. 17, M 135
EX EPISTOLA PAVLI
AD ROMANOS, PROPONENS
ἀνοήλουσιν capitis Noni.

*Cujus positiones divina adjuvante
gratia,*

PRÆSIDE DAVIDE RVN-
GIO S. THEOLOGIE DOCTORE ET PRO-
fessore in Academia Vuitebergensi, in privato disputatio-
num Theologicarum Collegio defendet
14. Calend. Octob.

IOACHIMUS FABIANI
Rostochiensis.



WITEBERGÆ,
Typis M. Georgij Mulleri,
Anno M. D. XCVI.

